



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XIX. Quis sit actus intellectus dono Spiritus Sancti specialiter
attributus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

Vergit ad
hominem
Caietan

vincere, in presenti etiam materia non habere locum
distinctionem illam. Quia ipse Caiet. fateretur, pecca-
torem sine dono Spiritus Sancti percipere diuina,
vix illis assentiendo, & iudicare etiam cauendum esse
ad idolatria secundum altissimas causas, & hoc iu-
diciu dicit esse actum fidei, & recte, quia creditur
certitudine fidei, & quia Deus ita reuelauit: est ergo
ille etiam assensus fidei; ergo similiter quilibet assen-
sus fidei de quacunque veritate reuelata est iudiciu
de illa secundum altissimas causas diuinae veritatis:
ergo etiam actus sapientiae eodem modo, quo iudi-
cium, est etiam assensus. Quod autem Caietan. in fine
subiungit, actum fidei, & doni esse eundem, solumq;
differre in modo, quia procedit ex instinctu Spiritus
Sancti, destruit doctrinam D. Thomae de donis; quia
actus fidei non potest altiori modo procedere ab Spi-
ritu Sancto per instinctum doni, quam per inspira-
tionem ipsius fidei, licet in hac inspiratione possit esse
latitudo, & vna possit esse maior, vel efficacior, vel
cum maiori intentione, qui modus accidentaliter est.
Item ille modus non est in ipso actu, sed in causa actus,
scilicet, in praeueniens auxilio maiori, vel minori;
quo non obstante actus non est in se melior essentiali-
ter, accidentaliter autem differentia & parum refert,
quia tota illa latitudo perfectionis continetur sub
virtute fidei, & saepe poterit non intercedere ex liber-
tate hominis minus cooperantis, quam cum maiori
auxilio possit.

16.
Vna essentia
de conueni-
entia, & dif-
ferentia fi-
dei, & sapi-
entiae.

Dico ergo, fidem, & sapientiam conuenire tam in
ratione iudicij, quam assensus, differre tamen quia fi-
des iudicat simpliciter esse verum, quod reuelatum
est, & quia reuelatum est. Sapientia vero, vt hic sumi-
tur, non iudicat de veritate ipsa reuelata, quod vera,
vel falsa sit, sed iudicat de rebus diuinis, quatenus
conuenientiam habent, & dignae sunt, vt amentur,
vel credantur. Sicut in mytherio Incarnationis v.g. ali-
ud est, ita esse, aliud, esse conueniens, & decens diui-
nam bonitatem, & sapientiam, &c. Primum ergo iudi-
catur per fidem, secundum per donum sapientiae;
quando ex peculiari instinctu, & motione Spiritus
Sancti habetur tale iudiciu, & hoc sensu ait D. Tho-
mas citatus, sapientiam iudicare, inhærendum esse
rebus diuinis. Et ita sunt priora verba intelligenda:
nam iudiciu fidei supponitur, & est quasi directum,
sapientiae vero quasi reflectitur in rem diuinam cre-
ditam, & attentius illam contemplantur, ac ponderat;
ac tandem iudicat adherendum esse illi, tanquam di-
gnissimae fidei, vel dilectione.

17.
Soluitur in-
fantia.

Dices, etiam fidem iudicare, res fidei esse dignas as-
sensione, & mytheria supernaturalia esse conuenien-
tia, &c. Respondetur, fidem non habere directe hæc
iudicia, & quando illa habet, solum esse sub ea ratio-
ne, qua vt dicta à Deo proponuntur. Sapientia vero
de his iudicat ex contemplatione ipsarum rerum re-
uelatarum per fidem, quasi in tuendo in illis, vel ex ea-
rum effectibus rationes conuenientie, vel amabilita-
tis, aut aliarum proprietatum, de quibus iudicat. Et
isto modo solet contemplatio sapientiae attribui, vt
est apud Augustinus 12. de Trin. cap. 4. Sic etiam D.
Thomas dicta q. 45. art. 2. dixit, hoc iudiciu sapien-
tiae esse secundam quandam connaturalitatem ad a-
morem. Supponit enim hoc donum amore diui-
num: amor autem, vt dixit Dionys. c. 4. de Diuin. no-
minibus, transfert amantem in amatum per singula-
rem vnionem, & inde facile oritur iudiciu de rebus
diuinis per quandam connaturalitatem ad illas. Sic-
que dixit August. lib. 8. de Trin. c. 9. *Quanto flagrantius
Deum diligimus, tanto certius, sereniusque videmus.* Nam
qui amat, magis attendit, & considerat ea, quae amat;
& facilius illi placent. Quod confirmant Christi ver-
ba Ioan. 7. *Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat
de doctrina, verum à Deo sit.* Et inde nascitur effectus ille,
à quo hic actus sapientiae nomen accepit, nam ea, quae
amantur cum suauitate, & dulcedine cogitantur.

18.

Et hinc etiam intelligitur, hunc actum sapientiae
Pars I.

non ita tribui intellectui speculatiuo, quin circa pra-
cticas etiam veritates versetur, sed dicitur esse perfe-
ctio speculatiuae partis, vel quia in illa principaliter
versatur, quia etiam de practicis in generali, & modo
speculatiuo iudicat, vt D. Thomas dicta quaestio. 45.
art. 3. docuit. Atque ita etiam explicuit hoc sapientiae
donum Albert. in 3. dist. 35. artic. 1. ad i. dicens, sapien-
tiam esse quoddam lumen diuinorum, sub quo viden-
tur, & gustantur diuina per experimentum. Et simi-
liter dicit Richard. ibi art. 2. quaest. 1. actum sapientiae
esse contemplari Deum ex dilectione, cum quadam
experimentalis suauitate in affectu. Atque hæc senten-
tia satis pia, & probabilis est, & iuxta illam facile di-
stinguitur actus sapientiae ab actu fidei, quia sapien-
tia non est credulitas veritatis, sed supponit illam, &
consistit veluti in quadam scientia experimentalis ve-
ritatis creditae.

Sapientia
speculatiua
& practica
est.

Semper tamen relinquitur difficultas, quomodo
talis actus possit esse supernaturalis quoad substan-
tiam, cum videatur in medio quodam naturaliter
cognito niti, illa enim experientia amoris, & bonita-
tis Dei naturalis est: vnde nunquam potest esse tanta,
vt faciat euidentiā veritatis cognita. Dicendum
vero est, experimētum illud plus esse, quam naturale,
qa est per effectus supernaturales, & ex peculiari ope-
ratione Spiritus Sancti cōferētis quendam peculiare
sensum spirituale illorum effectū, & affectum in-
ternorum, qui per solum naturale lumen apprehendi
non posset. Et licet inde non cognoscatur euidenter
veritas rerum diuinarum, quae per fidem reuelantur,
euidenter nihilominus iudicantur, & reputantur
consentaneae diuinæ bonitati, & quadam peculiari
certitudine causata etiam ex motione Spiritus Sancti
mens illis adhæret, & fide ac amore dignas repu-
tat, & ita talis actus in sua substantia, & modo super-
naturalis est, & sine Spiritus Sancti specialissimo au-
xilio non obtinetur.

19.
Quomodo
hic actus in
se superna-
turalis sit.

Resolutio.

CAPVT XIX.

Quis sit actus intellectus dono Spiritus Sancti specia-
litate attributus?

Secundo explicandus est actus intellectus, quem
S. Iacobi secundo loco numerauit, de quo etiam Di-
uus Thom. in diuersis locis videtur varie loqui. Nam
1. 2. q. 86. art. 4. sentit actum intellectus non peruenire
ad iudiciu, sed sistere in apprehensione supernatu-
ralium veritatum ad intellectum speculatiuum per-
tinentium, vt de illis iudicat sapientia, quia in hoc tan-
tum distinguit hunc actum ab actu sapientiae: scientia
vero, & consilio illum distinguit, quia istorum
duorum munera ibi tribuit intellectui practico. Hæc
autem doctrina patitur difficultates. Vna est, quia
difficile est, realiter distinguere apprehensionem à iu-
dicio in supernaturali cognitione eiusdem veritatis.
Quia vel per apprehensionem illam cognoscitur veri-
tatis rei apprehensæ, id est, ita esse, sicut apprehendi-
tur, vel sistitur in sola compositione, sine cognitione,
an ita sit, vel non sit, sicut modo apprehendo altra esse
paria, ignorando, an ita sit. Si primum dicatur illa
apprehensio est iudiciu, quid enim est iudicare, nisi
mente definire, ita esse, & veritati assentire? At ille,
qui apprehendendo propositionem cognoscit esse
veram, iam assentit illi, & mente definit ita esse; ergo
si intellectus vt est donum apprehendit, cognoscen-
do iudicat: ergo non potest in hoc distingui ab actu
sapientiae. Si vero dicatur secundū, scilicet, per actum
illum apprehendendi, non cognosci veritatem
rei apprehensæ, profecto imperfectissimus est talis
actus, & non est, cur sit supernaturalis, maxime cum
non fiat per species per se infusas, sed per acquisite
per visum, vel auditum.

10.
Doctrina
S. Thomae

1. diffi. est
contra do-
ctrinam
D. Thomae.

Et præterea est superuacaneus talis actus, quia ipsa
N n 2 sapientia

3. difficult.

3. D. Thom do no intelle ctus aliquo d iudicium attribuit.

4. Vera assertio Donum in tell. ctus et sam iudiciu includit. Probatur

sapientia non potest iudicare, nisi per ipsammet actum, quo iudicat, apprehendat rem, de qua iudicat: ergo superfluum est ponere præuiam apprehensionem puram, & peculiarem Spiritus Sancti gratiam ad illum actum postulare. Consequentia clara est, antecedens probatur, quia homo in hac vita non iudicat, nisi componendo, & diuidendo, vel syllogistice concludendo terminos, & illos ordinando, & coniungendo per actum, quo cognoscit, eos vere coniungi, vel disiungi: ergo dum sapientia iudicat, componit, & apprehendit. Denique altius est iudicium fidei, quam sapientia: at vero iudicium fidei, non fit sine in prima compositione, & apprehensione: ergo nec iudicium sapientia aliter fit. Ideo licet ante iudicium fidei præcedat cogitatio, & consequenter apprehensio rei credendæ, nondum cognoscendo veritatem, seu an ita sit, sicut apprehenditur, nihilominus illa apprehensio, quæ antecedit, non est specialis actus supernaturalis, nec propter illum ponitur speciale donum, vel auxilium Spiritus Sancti distinctum ab ipsa fide, & auxilijs ad illam necessarijs: ergo nec iudicium sapientia tale donum prærequirit. Videntur ergo hæc argumenta conuincere, actum intellectus, si supernaturalis sit, & versetur circa res diuinas, & supernaturales, necessario consistere in aliquo iudicio. Sicut autem difficultum est, illum ab actu fidei, & sapientia distinguere, quia non potest esse iudicium de veritate per se nota viatori, quia hæc cognitio non datur in via de veritatibus diuinis: ergo vel est ex testimonio diuino, & sic non distinguitur à fide, vel est ex alio medio, vt ex effectibus, vel congruentijs, & sic non potest distingui à sapientia, vel scientia, aut explicare oportet, quod sit eius motiuum, & quæ sit veritas, de qua fert iudicium.

Nihilominus D. Thom. vel non persistit in priori sententia, vel aliter illam explicuit, præbendo intellectui aliquam veram cognitionem, & iudicium, 2. 2. qu. 8. art. 1. vbi in corpore concludit, intellectum esse quoddam supernaturale lumen, quo potentia penetrat, & cognoscit, quæ per lumen naturale cognoscere non valet: penetrare autem, & cognoscere, non est pure apprehendere absq; iudicio, & solut. ad 3. dicit, intellectum iudicare quandam excellentiam cognitionis penetrandi ad inultima. Et solut. ad 1. & 2. comparando hunc intellectum quasi diuinum cum naturali intellectu principiorum, videtur aperte sentire, sicut intellectus principiorum est iudicatus principiorum naturalium, ita intellectus donum principiorum supernaturalium. Præterea in artic. 2. intellectui tribuit illustrationem mentis in Scripturarum intelligentia, & de illo exponit verba Luc. vlt. Dedit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Intelligere autem Scripturas non fit sola apprehensione sine iudicio, vt per se notum est. Et in corpore eiusdem artic. tribuit intellectui, quod per illum homo intelligit fidei veritates, saltem quoad hoc, vt cognoscit quæ exterius apparent illi contraria, non esse vere contraria, neque propter illa esse à veritate fidei recedendum: hoc autem sine magno iudicio non fit, ergo munus intellectus præcipue versatur in iudicando de his, quæ apprehendit. Item in ar. 3. tribuit huic intellectui non solum speculatiuam cognitionem, sed etiam practicam, quia cognoscit humanos actus secundum quod per legem æternam, seu per rationem æternam regulantur, practica autem cognitio regulatiua operationis iudicatiua est. Denique in artic. 5. dicit ad donum intellectus pertinere rectam æstimationem de vltimo fine, recta autem æstimatio iudicium mentis est: ergo etiam pertinet ad intellectum iudicare.

In hoc puncto mihi in primis videtur, ponendum esse actum intellectus non in sola apprehensione terminorum, vel propositionum sine vlla cognitione, & iudicio aliquo de re apprehensa, sed in tali apprehensione, quæ aliquid penetret, percipiat, & consequenter iudicet. Hoc quoad rem ipsam apud me conuincunt rationes priori loco factæ, quoad mentem vero Diui

Thomæ idem probant loca posteriori loco adducta. Neque existimo aliud intellexisse in 1. 2. cum dixit, *apprehensionem veritatis perfici mentem per donum intellectus*, 3. facta, quia hoc idem dixit 2. 2. nam q. 8. art. 1. dixit, *per hoc lumen intellectus reddi hominem bene mobilem à Spiritu Sancto ad apprehendendam veritatem circa fidem*. Et nihilominus ad 3. ibid. ait, *quod intellectus importat quandam perceptionem veritatis*. Idemq; habet in qu. 45. art. 2. ad 3. vbi tribuit intellectui *percipere veritates diuinas* (ita enim legendum est, non *percipere*, vt habent aliqui mendosi codices. (Idem ergo D. Thomas intelligit in præsentibus per apprehendendum, & percipiendum verba, seu per apprehensionem, & perceptionem: at perceptio veritatis aliquam cognitionem, & iudicium requirit, vt constat. Imo in dicta qu. 8. art. 6. addit, *intellectus munus esse penetrare, & capere credenda: quis autem dicat, penetrare, & capere nihil aliud esse, quam propositionem concipere.*

In explicando ergo hoc munere consistit intelligentia huius actus, & distinctionis eius à fide, & sapientia. Potest autem in hunc modum exponi. Quia quoties aliquid credendum est ex autoritate loquentis, vel scribentis, in primis necesse est concipere, quo sensu loquatur: & quid dicat, vt postea qui audit, iudicet de his, quæ dicuntur, & fidem adhibeat, vel non adhibeat. Vnde in doctrina etiã acquisita, diuersum studium adhibendum est ad intelligendum, & penetrandum, an August. v. g. hoc, vel illo sensu loquutus fuerit, aliud ad iudicandum, an id, quod dixit, verum sit. Quia ergo in hac vita diuinas veritates non in se videmus sed auditu recipimus, vel scripta legimus, vt eas credamus, illa etiam duo necessaria sunt. Et quia res illæ excedit captum nostrum, & modus ipse proponendi illas obscurus est, & latens: nam & res ipsæ, cum sint maxime spirituales, superant sensibilia phantasmata, & verba sæpe sunt ambigua; ideoq; indigemus singulari magisterio Spiritus Sancti non solum vt credamus, sed etiam vt res illas ad discamus, & penetremus, vt loquitur D. Thomas.

Atq; nota constat, in hoc actu interuenire iudicium aliquod, non de veritate rei dictæ, sed de sensu loquentis, & fortasse etiam de credibilitate rei dictæ: sicut in exemplo posito, quando legendum, & inuestigando cognoscimus, quæ fuerit sententia Augusti, vel D. Thomæ in aliquo puncto, iudicamus profecto hanc vel illam fuisse mentem eius, licet nondum iudicemus, an sententia illa vera, vel falsa sit. Ita ergo in præsentibus per intellectum penetramus veritates fidei solū quoad sensum loquentis, ideoq; iudicamus hoc esse quod dicitur. Hoc ergo iudicium includit actum intellectus, quod est donum, & in illo consistit, nam iudicare de veritate dicta iam pertinet ad fidem, & ita patet distinctio intellectus à fide. A sapientia vero distinguitur, quia sapientia non inuestigat sensum loquentis, nec de illo iudicat, sed illud iam supponit, sicut etiam supponit fidem de tali mysterio, aliud vero iudicium profert de rebus ipsis diuinis iam creditis, & amaris, scilicet, quod vera sint digna Deo, & vt æstimetur tales, quales dicuntur & creduntur ex proprio quodam motiuo, quod sumitur ex connaturalitate ad effectum bene dispositum per charitatem, & ex effectibus diuinis, quæ inde nascuntur, & experimento cognoscuntur, vt declarauimus.

Dices: ergo donum intellectus antecedit fidem, quæ recta conceptio credendorum præcedere debet, vt quis possit credere; consequens est falsum, quia Isai. 7. dicitur: *Nisi credideritis, non intelligetis*, iuxta septuaginta, & D. Thomas su præ docet, intellectum non solum supponere fidem secundum se, sed etiam charitate formatam. Respondeo, aliud esse loqui de habitibus, aliud de actibus. De habitu ergo intellectus simpliciter verum est; supponere fidem, imo & gratiam, vt videbimus libro sequenti. De actu vero distinguendum est. Nam potest esse hic actus intellectus Spiritus Sancti solum in perfectus, & quasi inchoatus, vel per-

perfectus, & consummatus quoad omnia, quæ ad illum pertinere possunt. Priori modo cõcedo aliquem actum intellectus supponi ad actum fidei infusæ, quia cum homo primo ad fidem vocatur, & inducitur, priusquam credat, oportet, vt interius iuuetur à Spiritu Sancto ad concipiendas, sicut oportet, res fidei sibi propofitas iuxta illud Ioann. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre, & discit, venit ad me, utrique credendo; prius ergo debet audire, & interius à Patre discere, vt exponit Augustinus. Vnde de obduratis, & excecatis dicitur Isai. 6. & Matth. 13. Audiu audieris, & non intelligis, & insequentibus latius dicendum est.*

S.
Fidem supponit actum perfectum donum.

At vero intellectus perfectus, prout maxime ponitur donum Spiritus Sancti, supponit fidem, imò & charitatē: & sic possunt optime intelligi verba Isaiæ citata, & illud Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus scientibus eum.* Et ita pertinet ad hunc intellectum quidquid acuminis (vt sic dicam) supernaturalis intelligentiæ in concipiendis rebus fidei interuenire potest. Nam ad hunc intellectum pertinet illustratio, & explicatio conceptio diuinarum rerum, quas fides reuelat. Item varij modis explicandi mysteria per plures similitudines, vel exempla: item huc etiam spectare potest penetratio, & inuentio plurium rationum, quæ res fidei illustrent, & magis intelligibiles reddant. Item hinc prouenire potest vera intelligentia locorum Scripturæ, in quibus veritates fidei continentur. Nã licet, vt dixi, credere veritatē dictam ibi scriptam, sit opus fidei, nihilominus intelligere quid ibi dicatur, potest esse huius doni, vt significat Diuus Thomas ita exponens verba Luc. vltim. *Et aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Et ita etiam possunt intelligi verba Christi ad discipulos Matth. 15. *Adhuc & vos sine intellectu estis?* Vnde etiam ad hoc donum pertinere potest, vt res fidei non appareant impossibiles, nec rationi repugnantes tanquam contrariæ, licet sint suprarationem: & hoc modo ait D. Thomas supra, huius intellectus esse ita penetrare res fidei, vt homo intelligat ea, quæ exteriori apparente contraria, non sufficere, vt ea non credat, nec propter illa esse recedendum à fide.

9.
Diffinitio alia bipartita. Suadetur a parte.

Sed adhuc superest difficultas, quia omnia hæc munera, vel per quandam reflexionem, vt sic dicam, ad fidem pertinent, & sunt actus fidei, vel quocumq; alio modo fiant, sunt opera, quæ discursu, & naturali ingenio fieri possunt, & fere magis consistunt in coniectura humana, quam in certo iudicio, & ideo non possunt ad supernaturalem cognitionē, & iudicium pertinere. Explicatur prior pars, quia omnia illa, de quibus intellectus iudicat, possunt, & debent credi ex autoritate diuina, si sub illa proponantur, vt possunt. Nam fides non tantum reuelat, v. g. Deum esse hominem, sed etiam reuelat, quo sensu in Scriptura dicatur, *Verbum caro factum est,* & quo sensu dicatur homo Deus, & similia: verumque ergo iudicatur, & creditur ex testimonio Dei. Item sicut ex testimonio Dei credimus res reuelatas, ita etiam iudicamus illas non esse impossibiles, nec ab illis esse recedendum propter exteriora contraria, &c. Si ergo iudicium de his omnibus nitatur in autoritate diuina, quantumuis cum perfecta rerum conceptione, vel penetratione, semper erit actus fidei magis, vel minus perfectus, & ex maiori, vel minori auxilio procedens. Ipse ergo actus fidei, qui secundum suam substantiam talis denominatur, prout perfectiori modo concipitur, dicitur intellectus. Et ita illud Isai. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis,* perinde dictum esse censetur, ac si diceret, nisi simpliciter, & quasi inchoando fidem credideritis, illustratiorem, & magis penetrantem fidem non assequemini.

10.
Suadetur a parte.

Altera pars declaratur, quia illa omnia, si non fiant cum certitudine fidei, necesse est iudicari tantum ex rationibus, & motiuis humanis, & consequenter nõ pertinebunt ad supernaturale donum, nec fient per actus supernaturales quoad substantiam, sed ad sum-

Pars I.

munum quoad modum. Probatur discurrendo per actus insinuos, nam in primis concipere verba, vel signa, sub quibus fides proponitur, in eo sensu, in quo dicitur, iudicando illum esse verum sensum, si non fiat ex lumine fidei, solum esse potest per discursum humanum, & coniecturas, vel humana testimonia. Sicut in iudicando de sensu Scripturæ, v. g. quod illa verba: *Hoc est corpus meum,* proprie significet, illud esse verum Christi corpus, ibi realiter existens, solum potest haberi, aut per certitudinem fidei, aut per coniecturas, & autoritates humanas, neq; apparet, quo alio modo possit per donum intellectus de vero illo sensu iudicari. Idemque est eadem ratione de quibuscumque verbis, siue scriptis, siue ore prolatis, & de quibusuis signis, parabolis, figuris, aut prophetijs obscuris, sub quibus doctrina fidei proponatur. Præterea expressior, vel clarior conceptio fidei, si formaliter includat cognitionem veritatis rei conceptæ, sine certitudine fidei, facile esse potest ex acumine humani ingenij, & ex maiori industria, & studio, quod si Spiritus Sanctus suppleat vires ingenij, & laboris humani, nihilominus cognitio illa non potest esse, nisi ex motiui humano, ac proinde naturalis. Et simili modo si cognoscantur plura mysteria in eisdem veritatibus, nõ potest esse nisi cognoscendo plures conclusiones in reuelatis contentas ex vi discursus humani, nam si fiat altiori modo, iam erit cognitio fidei. Rationes etiam, similitudines, vel exempla quæ inducuntur ad fidem explicandam, vel suadendam, non transcendunt de se naturalem cognitionem, quod si ex diuina inspiratione offerantur, erit opus supernaturale in modo, non in substantia. Deniq; iudicium de possibiliitate rerum fidei, si non sit ab ipsa fide, & cum eadem certitudine, solum esse potest per motiua humana, & soluendo argumenta in contrarium obiecta, quod nõ transcendit humanam industriam quoad substantiam operis, si fides ipsa maiorem certitudinem non præbeat.

Respondeo, naturale quidem lumen intellectus fide illustratum, & adiutum multa posse facere circa veritates reuelatas valde similia his muneribus, quæ dari tale donum omnino supernaturale à fide distincta, negetiam, esse certum, quia non est satis aperte reuelatum. nihilominus dico, certum videri non sufficere ingenium humanum, etiam fide præditum ad præstanda per solum naturale lumē illa omnia, quæ circa veritates fidei concipiendas, confirmandas, & explicandas à credentibus fiunt, sed necessarium sæpe esse peculiare, & supernaturale Spiritus Sancti auxilium, & hoc modo actus illos esse donum intellectus supernaturalis, siue illi actus sint in substantia naturales, siue non sint, satis enim est, quod fiant speciali Spiritus Sancti instinctu. Adde vero iam esse probabilius, & Scripturis, ac Sanctis conformius, hæc munera, quatenus ad donum Spiritus Sancti pertinent, fieri per actus in se, & substantia supernaturales. Primo, quia quoad subtilitatem penetrandi supernaturalia mysteria, & inueniendi, & applicandi rationes, & exempla, quibus illa confirmant, excedunt vires ingenij humani. Et hoc non leuiter potest experimento confirmari: nam videmus interdum personas simplices, & indoctas altius concipere, & explicare mysteria fidei, quam soleant sapientes id facere. Deinde quod attinet ad certitudinem cognitionis, in qua præcipue versatur difficultas, dico hanc cognitionem intellectus esse certam, nõ proprie ex motiui fidei, nec cum æqualitate ad certitudinem eius, sed ex alijs motiuis, & rationibus adiuncto modo concipiendi, & assequendi illa motiua ex instinctu Spiritus Sancti cum tanta claritate, & adhesionem ex eodem instinctu, vt quasi per reflexionem fiat quædam experimentalis euidencia, quod ibi interueniat Spiritus Sancti instinctus, & operatio. Qui modus cognitionis, & certitudinis plane est in se, & substantia tua supernaturalis.

11.
Solutio præposita diffinitio.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Nn 3 liss

lis, & potest facile in his donis interuenire, nulla enim est repugnancia, & ad multa opera, quæ ex Spiritus Sancti instinctu fieri videbimus, est plane necessarius vt ex sequentibus magis constabit.

CAPVT XX.

Quis sit actus scientiæ dono Spiritus Sancti specialiter attributus?

1. De hoc actu in primis est certum, constituendum esse in aliquo iudicio, & vera cognitione intellectuali, & non in sola apprehensione, quæ iudicium non includat. Hoc tradit D. Tho. tam in 1. 2. q. 68. art. 4. quam in 2. 2. q. 9. Et suadetur primo ex dictis de intellectu, 6. 19. nu. 1. & 2. quia sola apprehensio est actus nimis imperfectus, vt inter dona Spiritus Sancti numeretur. Secundo ex proprietate ipsius vocis, Scientia, significat enim cognitionem iudicatiuam, & certam, imo, & euentem, si in rigore sumatur. Tertio quia etiam si in rigore loquamur de apprehensione, & inuentione intellectuali, quæ sit cum iudicio, & cognitione, vt de intellectu diximus, sic etiam donum intellectus sufficiens est ad operandum illo modo ex instinctu Spiritus Sancti in tota materia fidei, vt recte notauit Caiet. 2. 2. q. 3. art. 1. Et ratio reddi potest, quia tota materia fidei est eiusdem rationis quoad hanc partem, nam vt substat regulis diuinis, & supernaturalibus, est satis eleuata, modus autem operandi in intellectu explicatus est idem quoad penetrationem, & inuentionem ex instinctu Spiritus Sancti in tota illa materia. Vnde etiam intulit D. Tho. dicta q. 3. artic. 3. intellectum non versari tantum in materia speculatiua, sed etiam in practica: ergo superfluum esset ponere donum scientiæ ad similia munera.

Deinde supponendum est, hunc actum non esse mere practicum, sed speculatiuum potius, licet possit esse aliquo modo practicus, scilicet ex parte materiæ operabilis, licet ex modo semper speculatiue fiat, in quo cum intellectu, & sapientia, imo & cum fide conuenit, differt autem à prudentia. In hoc puncto habuit diuersam sententiam D. Thomas 1. 2. q. 68. art. 4. censuit enim ibi, scientiam, quæ est donum, esse iudicium omnino practicum de agendis ex instinctu Spiritus Sancti, quod solet etiam morale imperium vocari, & in hoc distinxit scientiam à sapientia, & intellectu; à consilio autem illam distinxit, quia ad consilium pertinent tantum inuentione in eadem materia practica, in qua scientia iudicat. Potestque suaderi hæc sententia, quia intellectus, & sapientia videntur sufficere perficere intellectum quoad omnes actus, tam in materia speculabili, quam in materia operabili, prout inter illa potest intellectus speculatiuo modo versari; ergo non potest scientia in ea materia ab illis distingui: ergo debet ad materiam practicam, & modum iudicandi practicum referri. Fauetq; Augustin. lib. 12. de Trinit. cap. 12. vbi scientiam circa actionem, sapientiam vero circa contemplationem versari sentit. Loquitur autem de scientia humana, & naturali, non de illa, quæ specialiter est à Spiritu Sancto, per quamdam autem proportionem videtur posse accommodari. Consilium autem, & ex vi vocis significat inquisitionem, & inuentionem, & non potest in materia, & modo practico aliter à scientia distingui. Accedit, quod in ipsa enumeratione donorum apud Isaiam scientia ponitur inter dona pertinentia ad voluntatem; tanquam illam dirigens, quod pertinet ad iudicium practicum.

2. Nihilominus idem D. Thom. in illa sententia non permansit, sed illam expresse retractauit 2. 2. q. 8. art. 6. & q. 9. art. 3. dicens, scientiam principaliter esse speculatiuam, licet extendatur ad materiam etiam practicam, & in hoc cum intellectu, & sapientia conuenire. Vnde illi non tribuit iudicium de agendis in particu-

3. lari, quod dicitur practice practicum, vel imperium; vel applicatio scientiæ ad opus: nam hoc totum ad consilium spectat. Vnde in q. 52. art. 1. & 2. docet donum consilij respondere prudentiæ, & includere in iuo ordine præcipuum actum prudentiæ, qui est præcipere, seu practice iudicare, quamuis non ab illo denominetur, vt consistere potius in consilio à Spiritu Sancto recepto, quam in proprio iudicio significetur. Et hæc sententia vt verisimilior tenenda est. Tum quia propria scientia secundum communem vsum longe distat à prudentiâ, & à iudicio practico, quod per modum prudentiæ fertur: scientia enim per se intendit in veritatis cognitionem, prudentia vero magis tendit in operationem. Tam etiam quia in materia fidei, tam circa principia speculatiua, quam circa moralia, quæ practica dicuntur, est necessarium aliud genus iudicij, & cognitionis, præter intellectum, & sapientiam, vt statim explicabimus, quod non potest esse nisi scientia. Tum denique, quia in dono consilij non videtur necessaria propria inquisitio, & consolatio ipsius hominis, quia iudicium prudentiale, quod est donum, determinatè recipitur ex impulsu Spiritus Sancti, vt mox dicemus. Igitur scientia, quæ inter dona recensetur, nec est iudicium practice practicum, imo in hoc differt à consilio: neque est mera apprehensio, sed est cognitio iudicatiua, & speculatiua, & in hoc cum sapientia, & intellectu conuenit.

Difficultas ergo superest, quomodo scientia ab his, & à fide distinguatur. Et rationes dubitandi sunt ferè eadem, quæ de sapientia, & intellectu factæ sunt. Potest ergo scientia distingui à fide, quia fides versatur circa veritates per se, & immediatè reuelatas; scientia vero circa conclusiones ex illis principijs elicitas, à sapientia vero distinguetur, quia sapientia versatur circa conclusiones diuinas, & supremi ordinis; scientia vero circa conclusiones, & veritates de rebus creatis, vel humanis, iuxta doctrinam August. lib. 13. de Trin. c. 19. Sapientia diuinis, & æternis, scientia humanis, & temporalibus attributa est rebus. Veruntamè hic dicendum habet difficultates omnes supra tactas de sapientia illo modo explicata. Vnde si in sapientia non admittitur, multo minus in scientia probari potest, præterea est noua difficultas, quia hoc modo sapientia, & scientia quoad actus non formaliter sed materialiter tantum differunt, qui ex eisdem principijs, & eodem modo in diuersis rebus versantur, & materiale est: nã formalitas actus sumitur ex motiua, & modo operandi. Non differunt ergo essentialiter, sed accidentaliter, vel (vt ita dicam) indiuidualiter, & consequenter si hæc dona sunt habitus, non erunt habitus re distincti, sed ratione per conceptus inadæquatos. Sicut actus fidei, licet in diuersis materijs creatis versentur, eiusdem speciei sunt, & ab eodem habitu manant. Hoc autem cum in alijs donis non inueniatur, neque in his admittendum videtur.

In modo igitur distinguendi scientiam à fide eadem ratio tenenda est, quæ in distinctione inter sapientiam, & fidem obscura est. Scientia enim non præbet assensum veritati reuelatæ; iudicando ita esse, sic ut reuelatum est, seu credendo veram esse, quia à Deo dicta est, sed iudicat de conuenientia veritatis reuelatæ, vel respectu Dei, vel respectu nostri, vel respectu ipsius fidei, quatenus iudicatur digna fide, vel respectu amoris, quatenus amabilis reputatur. Vnde in hoc suo iudicio non fundatur immediatè in reuelatione, sed in alijs motiuis, vel experimentis, vt dicemus. Et ita differt à fide. Ab intellectu item differt eodem modo, quo sapientia, quia ad diuersos fines proxime ordinantur, & iuxta illos, diuersos actus efficiunt: Intellectus enim in sibi in penetratione, & perfecta conceptione veritatis fidei, vt explicui. Sapientia vero, sicut & scientia, in ipsa doctrina fidei iam perfectè concepta, & ordinata nouas rationes conuenientie contemplantur, vt dixi. Inter se vero differunt, quod

Donum hoc consistit in iudicio. Probatur 1.

Secundo.

Tertio.

Scientia est speculatiua, licet aliquo modo practica.

Est suadetur.

Hanc opinio nem retinet D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 6. & q. 9. art. 3. dicens, scientiam principaliter esse speculatiuam, licet extendatur ad materiam etiam practicam, & in hoc cum intellectu, & sapientia conuenire. Vnde illi non tribuit iudicium de agendis in particu-

sententia vt verisimilior tenenda est. Tum quia propria scientia secundum communem vsum longe distat à prudentiâ, & à iudicio practico, quod per modum prudentiæ fertur: scientia enim per se intendit in veritatis cognitionem, prudentia vero magis tendit in operationem.

sententia vt verisimilior tenenda est.

Sci

Difficultas ergo superest, quomodo scientia ab his, & à fide distinguatur.

Difficultas ergo superest, quomodo scientia ab his, & à fide distinguatur.

In modo igitur distinguendi scientiam à fide eadem ratio tenenda est, quæ in distinctione inter sapientiam, & fidem obscura est.

In modo igitur distinguendi scientiam à fide eadem ratio tenenda est, quæ in distinctione inter sapientiam, & fidem obscura est.

In modo igitur distinguendi scientiam à fide eadem ratio tenenda est, quæ in distinctione inter sapientiam, & fidem obscura est.

In modo igitur distinguendi scientiam à fide eadem ratio tenenda est, quæ in distinctione inter sapientiam, & fidem obscura est.

In modo igitur distinguendi scientiam à fide eadem ratio tenenda est, quæ in distinctione inter sapientiam, & fidem obscura est.